



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Confessionibus Ritè ac fructuosè excipiendis Doctrinas
tam generales, quàm speciales ad varios Hominum Status
accomodatas complectens**

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

Præfatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49251)

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Quanti faciendum sit munus Confessarii, velex hoc colligere licet, quod teste Ludovico de Ponte, tantas in se contineat perfectiones, & excellentias, ut solus DEVS eas sufficienter aestimare possit; est enim Confessarius, Vicarius DEI in dimittendis peccatis hominum, est Iudex peccatorum, Ianitor seu Claviger cæli, spiritualis animarum Medicus, Pastor ovium Christi, Magister ac Pater spiritualis Penitentis. Et, ut Ioannes Bonifacius l. 5. Sapient. fruct. rectè pronuntiavit, nihil illo Christi Operario laboriosius, cui ne in communi quidem otio, & Christianorum Feriis cæterorum esse liceat otioso: nihil illo homine mundius, quæ tam spurcæ res, tantæque seditas inquinare non possit; nihil eo prudentius, quem tam multa, tamque diversa non fugiant: nihil eo amantius, qui ægrotantibus præsto est, periclitantibus subvenit, Consultoribusque respondet, quibus tota domus sæpe completur. Hæc enim Christianis ex naufragio tanquam tabula restat, quam Sacerdos officiosus & sanctus illis, qui enatant, libenter opponit, cavetque, ne qui in mare decidit, fluctibus obruatur. Cùmque, ut bene Tullius orat. 3. in Carilinam advertit, non minus iucundi sint illi dies, in quibus conservamur, quàm in quibus nascimur, profectò ad homines, quos baptismo renatos scimus, ex orci faucibus eripiendos, & peccatorum, quæ post regenerationis lavacrum mortifera commiserunt, integrâ, sincerâ, & lacrymosâ confessione sanandos promptissimi & paratissimi esse debemus, quorum expediendæ salutis in illis penitentiæ apertis commodissima ratio est, quibus tamen operam det Sacerdos, & eruditus, & sanctus. Hucusque Bonifacius. Et verò etiam ipsa experientia satis docet, nullam esse functionem, Sacerdotibus propriam, ex qua

qua

Præfatio ad Lectorem.

qua tam copiosum Fidelibus Christianis auxilium, ac solatiū oriatur, quàm ex confessionis Sacramento legitime ac prudenter administrato, ut merito quilibet Sacerdos curam animarum suscepturus, omnem diligentiam adhibere debeat in iis doctrinis, quæ ad solidam hujus muneris proxim ab experientissimis quibusque Confessariis excogitata sunt, animo, memoriæque firmiter imprimendis; quæ in finem instructio ista, non parùm servare poterit, ut non modò generalia principia, quibus se & suos Penitentes dirigere Confessarius debeat, in prima parte explicabit; sed etiam, quid in particularibus variarum periculis, & statuum confessionibus observari oporteat, in secunda parte ostendet. Quæ tamen ipsa Instructio ut proprium suum felicius, certiusque assequatur, noverit benignus Lector, finem illius non esse, quòd aut novas doctrinas, proponere, aut aliquid, quod exercitatus Confessarius in munere suo rectius obeundo juvare possit, afferre cogitem; sed id unum mihi propositum esse, ut Sacerdotes, qui recentior Sacerdotio initiati sunt, & doctrinas pro confessionibus audiendis neque ipsi adhuc propria experientia didicerunt, neque libros, ex quibus eas addiscere possunt ad manum habent, in hac Instructio velut in compendio, plerásque non reperirent duntaxat, sed modum etiam easdem in praxi applicandi propositum haberent. Hæc ergo, benigne Lector, explicatas consilii mei, & rationis placeat, approbare: Si verò utilis, gratiusque videbitur, DEVM velut omnium bonorum fontem pro hoc mecum grato animo collaudare.